

perfectionem adducit, sibi ipsi subinde ad alia atque alia tin-
 genda semper sufficiens, & corpora humana in decimam ge-
 nerationem usque sana & valida propagans. Antimonio non
 simile est sulphur, Minerale (utrumque enim inter vitrio-
 la referri debet) de quo Theophrastus, *Quod in ipso (inquit)*
non inest, id beneficio alterius per ipsum possumus assequi, intelli-
 gens spiritum Mundi Magneticum, qui Philosophis est Ma-
 gnetia vera. lib. Mineralium cap. 7. *Quod duxem artis (hoc est,*
Heliam Artistam) sedulo sectaturum ait. Verum quomodo la-
 pis Ignis ex Antimonii tribus intrinsecis interventu olei vi-
 trioli ex Venere & Marte debeat præparari non solummodo
 in curru suo triumphali sparsim docet Basiliius, sed multò ma-
 gis conjunctim & methodo aperta in manuscripto manualis
 præ practicæ videtur pertractasse.

Secundum lapidem Ignis idem proximè mentionem fa-
 cit lapidis Philosophorum, cui quidem primas tribuit, respe-
 ctu cæterarum videlicet tincturarum universalium, non verò
 universalis universalissimi, ut postea dicetur. Asseverat au-
 tem Lapidem Philosophorum fieri ex essentia auri: verè qui-
 dem, sed ut audiemus non sine adjunctione salis Nature tum
 simplicis, tum compositi: Unde Alchymiam quasi Halchy-
 miam non ineptè indigitat Chrysippus Fannianus.

Tertia est tinctura Solis maximè Philosophici, quæ Lapi-
 dem Philosophorum proximè sequitur. Hæc auro solo eoq;
 philosophico à nobis descripto potissimum constat, quo no-
 mine à Lapide ipso differt, quamvis variæ habentur eius præ-
 parationes. Philosophorum enim Lapis ex auri quidem es-
 sentia, ut & ipsa tinctura fit. Sed Solis hæc tinctura loco salis
 simplicis naturæ, suo ipsius sale contenta est, & ex tribus auri
 essentiam Philosophici principiis resolutis, depuratis, &
 conjunctis prodit, ut sub finem dicemus.

Quarta Tinctura secundum Basilii sententiam est Tinctu-
 ra Veneris & Martis, in unum videlicet conflatorum, hoc est,
 eorum vitrioli albo & rubèri spiritu, qui est Mercurius &
 sulphur amborum, unà cum eorundem fixo sale, unde hæc
 tinctura paratur: licet sine Sole vulgari, cum quo illa est in-
 corporanda, non perficiatur; siquidem prius cum eo figen-
 dum est, quemadmodum testatur Basiliius in lib. de Naturalibus
 Supernaturalibus cap. 2. pag. 28. his ipsis verbis: *Quando*
inquit) Tinctura Solis in nullo abundantius reperitur, quam
in Marte & Venere, veluti masculo & femina, eorum corpora de-
componuntur, & spiritus eorum tingens ex eis propellitur, qui reserati
præparatum aurum sanguine suo saturum, & per cibum & po-